

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1384

Auteur(s) : Samson, Rouen, Saint-Ouen (abbé)

Bénéficiaire(s) : Soissons, Saint-Crespin en Chaie (église)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1181-1193]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Accomodement entre les religieux, abbé et couvent de Saint Ouen, et les chanoines reguliers de Saint Crespin en Chaige de Soissons, pour quelques terres de Sancy.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 477-478.

Dissertation critique

La datation est fixée par l'abbatial de Samson, après le 25 ou 28 décembre 1181/1182 - 1190, plus sûrement après le 13 mai 1193.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod ego Samson abbas sancti Audoeni Rothom. et conventus eiusdem loci tradidimus et concessimus, Theobaldo abbati et conventui ecclesiæ S. Crispini in Cavea Suessionensis illas terras de Sanceio super quibus controversia vertebatur inter nos et ipsos. Videlicet culturam S. Audoeni quæ contigua est terris Valleranni, et unam peciam terræ quam dedit illis Huilardus de Nantolio, et in Valrani tres pecias, et unam peciam inter valeam et magnam culturam, tenendas de nobis et successoribus nostris, sibi et successoribus suis in perpetuum, tali conditione, quod ipsi et successores sui, nobis et posteris nostris reddent singulis annis, de singulis duodecim garbas in universis culturis illarum terrarum tres garbas, unam pro decima, et duas pro terragio : et ad grangiam nostram de Sancy quæ sunt de terragio adducent, in apportandis garbis servata terræ consuetudine. Ea etiam consuetudine interposita, quod nunquam de cætero licebit prædictis abbati et canonicis sancti Crispini aut successoribus suis, de terris ad jus et dominium nostrum pertinentibus aliquam emere aut in vadium recipere absque assensu et voluntate abbatis et capituli sancti Audoeni Rothom. Verum si quis in eleemosynam aliquam terram juris aut dominii nostri prædictæ ecclesiæ sancti Crispini contulerit, nec hoc de assensu et auctoritate Capituli nostri fuerit, non licebit eis ultra annum retinere, sed saluo jure nostro vendere aliis poterunt secundum terræ consuetudinem. Hæc autem conventio facta est in præsentia Domini Nivelonis Suessionensis Episcopi, qui ad hoc ut fieret partes suas interposuit, et ut firma permaneat sigilli sui munimine stabiluit, et ne qua dubietas posset in posterum oriri capitulum nostrum, præsens scriptum sigillo suo roboravit, prædictus vero abbas sancti Crispini et conventus pari voto et consensu communi hanc conventionem sigillo suo confirmaverunt. His testibus Vuillelmo Decano. Rud. etc. de monachis vero S. Audoeni. Galfrido priore. Ricardo suppriore. Radulfo contere, etc.